



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Maria Sancta Seuerina, Nolæ n. 17

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

17. A MARIA SANCTA SEVERINA *Vrbis olim Olanae Comite, Literis ad Lainium Vicarium sua exaratis manu pro fundatione*

*Ciuitatem
Eorum Col-
legio dona-
re, maius
beneficium
est, quam
plurimum
Vrbium do-
minatus.*

Collegij Nolani. Nolam (inquit) Ciuitatem, apud quam maximam & optimam Vitæ meæ partem exegi, quamdiu in ditione habui, multum amaui, quod semper erga me obseruantissimam experta sum. Nunc vero postea quam mea esse in potestate desijt, amo etiam magis. Cum enim nihilo me quàm ante obseruet minus, &c. Agitanti autem mihi assiduè quemadmodum tantorum meritorum gratiam queam referre, in mentem venit, si curarem: vt ciuitas libera, sui que iuris esset, ac multarum præterea dominatu Vrbium potiretur, beneficium multo leuius fore, quam si ei Collegium è Vestris Patribus impetrare conarer, daremque operam, vt Dei famulos adeo communi Domino charos, ita proximorum saluti addictos, & ad eamque curandam solertes, ac vigilantes intra sua moenia haberet, &c. Hæc Vrbis Nolanae Comes Sancta Seuerina; quippe nupta olim fuerat cum Henrico Vrsino (qui vltimus Comitum eam ditionem possedit) pietate non minus, quam generis Claritate nobilis Matrona. Par. 2. Hist. Societ. lib. 2. num. 76.

*Sunt Deo
chari, pro-
ximorum
saluti ad-
dicti, & ad
eam curan-
dam soler-
tes.*

18. A IVBARTO S. Vitalis Comite Sala Octauio Parmensi Duci unice charo, qui pene iam exhalans animam Ducem aduocans falsis rumoribus Societati aduersum, sic est allocutus. Ego (inquit) quàm verè Excellentiam tuam, ac sincerè coluerim, certiorum testem nullum habeo, quam Te ipsum: item me super merita mea benigne habitum abs te scio, atque profiteor. Itaque cum fides erga te mea, tum merita in me tua cogunt id supremis verbis effari, quod ne ignores, tua plurimum referre puto. De Societate IESV multa apud te iactata esse compertum habeo: quæ cum Ego falsa esse certo sciam, nolui moriens permittere, vt diutius bonæ tuæ menti imponerent, illuderentue imperitorum hominum, aut maleuolorum sermones. *Hic multas pro animi sui studio Societatis laudes cum recensisset, adiecit. Hæc Ego quia planè penitusque perspexi, & comperi loquor; Tuque ipse intelligis, nec mei moris vnquam fuisse*

*Societatis
innocentia
commen-
data.*